Jahresbericht

über das

Königl. Gymnasium zu Rastenburg

für das Schuljahr von Michaelis 1839 bis dahin 1840

womit zur

öffentlichen Prüfung

der Schüler

am 1. und 2. October

und zur

feierlichen Entlassung der Abiturienten

am 2. October Nachmittags 3 Uhr

die Eltern und Freunde des Schulwesens

ergebenst einladet

J. W. G. Heinicke, Director.

Voraus geht eine Abhandlung des Gymnasial-Lehrers
Herrn Claussen: de figura hyphen.



Rastenburg 1840.

Gedruckt bei August Haberland.

De nota, quae vocatur hyphen sive subunio.

§ 1.

De ordine ac forma huius notae.

Theodorus Gaza lib. I, p. 6: *προσῳδίαι δὲ ὀξεῖα, βαρεῖα, περισπωμένη, δασεῖα, ψιλὴ, ἀπόστροφος, ὑφὲν, διαστολή.* Notam, quam Graeci *ὑφέν*, subunionem Latini vocant, accentuum numero habitam esse, etiam Diomedes, Donatus, Maximus Victorinus docent. Formam huius signi describunt: Diomedes p. 429: His (accentibus) adiiciunt hyphen, cuius forma est virgula sursum curvata, subiacens versui et inflexa ad superiorem partem; Priscianus p. 1287: Quid est hyphen? Virgula subiacens versui circumflexa. — Inter nostri temporis grammaticos de forma subunionis non prorsus convenit: alii linea brevi, quae est ‚pars inferior circuli', alii apice inverso, reliqui longa linea utuntur.

§ 2.

De vi atque auctoritate subunionis.

Donatus p. 1742: hac nota subterposita duo verba, quum ita res exigit, copulamus, ut: ante-tulit gressum, et: Turnus ut ante-volans tardum praecesserat agmen. Maxim. Victorin. p. 1943: his adiiciunt hyphen, quum duo verba, quasi unum, pronuntiatione colligimus et utriusque verbi proximas literas inflexa subter virgula iungunt, quale est: Turnus ut ante-volans.

Eundem in modum Priscianus p. 1287. Recte miramur, cur grammatici voces quidem „ante tulit" et „ante volans" subunione iunctas voluerint, quum in utraque sententia vocabulum **ante** adverbii locum obtineat ob eamque rem seiunctim scribendum sit. Reliqui loci, in quibus scholiastae et commentariorum scriptores subunione utuntur, fere hi sunt: Ter Andr. 1, 2, 4: Heri **semper-lenitas** verebar quorsum evaderet. Ad quem locum Donatus: Et heri semper leni-

tas. An semper-lenitas? ut sit ὕφεν. Quintil. 12, 10: nam illa (litera f), quae sexta est nostrarum, paene non humana voce vel omnino non-voce potius inter discrimina dentium efflanda est. Stat. Theb. 11, 567: ensem iam laetus fratris non-frater corde reliquit. Ad quem versum Gronovius: tum illud non-frater dixit, ut alibi: horrendum non-fratris opus. Cic. or. 23: habet enim ille tanquam-hiatus concursu vocalium molle quiddam. Catull. 64. 81.: Ipse suum Theseus pro caris corpus Athenis. — Proiicere optavit potius, quam talia Cretam — funera Cecropiae ne-funera portarentur. Cic. Attic. 13, 50 (48): quaeris, quid cogitem de obviam-itione. Cf. ibid. 11, 16. Arnob. p. 149: immunes a deorum male tractatione nec sic estis. Virg. Aen. 1, 198: O socii! neque enim ignari sumus ante-malorum. Catull. 4, 11: ubi ista post-phaselus ante fuit comata silva. Plaut. Amphitr. 2, 2, 138: tu intus-pateram proferto foras. id. Pers. 3, 1, 57; non tu nunc-hominum mores vides. Apud Virgilium Aen. 1, 21 legitur: populum, late-regem; apud Cic. Tusc. 2, 22: at Marius rusticanus, sed plane-vir, quum secaretur, alligari se vetuit. Cic. Brut. 10: Homerus plane-orator. Quintil. 5, 9: mollis et parum-viri signa. Plin. ep. 8, 16: permitto servis quoque: quasi-testamenta facere, ibid: quasi-civitas. Cic. de nat. deor. 1, 24: quasi-corpus et quasi-sanguinem.

His exemplis probatur, tales voces grammaticos subunione copulasse, quae, quamvis proxime a compositorum natura et indole absint, compositorum numero non sunt habendae, sed illorum quasi umbrae et simulacra. Plerumque coniuncta videmus adverbium et substantivum, more Graeco, cuius generis sunt: semper-lenitas, nunc-hominum, ante-malorum, post-phaselus, quasi-civitas, tanquam-hiatus. In his adverbia adiectivorum vicibus funguntur. In aliis substantiva a verbis ducta significationem verborum propriam retinuerunt, qua re illa verborum coniunctio excusata quodam modo videtur Cf. obviam-itio, plane-orator. Apud Virgilium voces: late-regem idem valent, quod late-regnantem. Quae iam sequuntur substantiva: admodum iuvenis, admodum adolescens, admodum infans (Tac. ann. 4, 13) adiectivorum partes agunt horumque analogia voces: admodum puer tuetur. Meris adiectivis utuntur: Florus 2, 6, 10 praetextatus admodum filius, Cic de Sen. 4, 10 admodum grandem natu. Quod apud Catullum: funera ne-funera, et apud Statium: horrendum non-fratris opus, legimus, hac re poetae Graecorum dicendi formulas sunt imitati, quales sunt: ἄδωρα δῶρα, ἀγάμους γάμους, πότμον ἄποτμον, ἔργα, ἄνεργα, μήτηρ ἀμήτωρ, νύμφην ἄνυμφον, πάρθενον ἀπάρθενον, Ἶρος Ἄϊρος. Accuratius vetus poeta apud Cic. de orat. 3, 58 Graecorum: γάμοις ἀγάμοις verbis Latinis transtulit: Paris Helenam innuptis iunxit nuptiis. De Plauti versu: intus pate-

ram proferto foras — iam Accidalius dubitavit, cui lubentissime assentior. Namque adverb. intus ut Bacch. 1, 1, 62 et Mil. gl. 4, 8, 28 aptius cum verbo iungitur idemque significat, quod Graecum ἔνδοθεν. Reliqua, quae his addi solent, exempla: Ovid. Met. 7, 702: semper-florentis Hymetti. Propert. 1, 18, 14: ut tibi merito sim semper-furor. Virg. ecl. 1, 7: namque erit mihi ille semper-deus — nihil prorsus habere, quod a ratione atque ingenio linguae Latinae abhorreat, quis non videt. Itaque hyphen, quod grammatici vocant, arctiore vinculo tales voces copulari iubet, quae communi lopuendi usu minus apte coniunguntur.

Vocabula enim, quaecunque sunt recte composita, subunione non indigent, quae composita non sunt, sed duae, ut grammatici dicunt, partes orationis, illam notam repudiant. Qui hyphen figuris adnumerant, illam dicendi rationem intelligi volunt, quam Latini a Graecis mutuati sunt, cuius generis est: nunc-hominum τῶν νῦν ἀνθρώπων. Gronovius hyphen de figuris prorsus eximi iubet, doctissimorum illius temporis rationem secutus, qui minus usitata per ellipsin explanare et comprobare solebant. Illud genus dicendi, de quo dixi, quamvis sit rarum, vocis tamen ὑφέν auctoritas atque ambitus nuperrime tantum incrementi cepit, ut omnem iustae rationis modum excederet. Etenim nostri temporis grammatici nomine ὑφὲν etiam eas voces comprehendunt, quae, quod sermonis consuetudine saepe coniungebantur, scribentium negligentia vel scripturae compendio continuatis literis scriptae inveniuntur. Huius generis multae dicendi sunt formulae, quas utrum coniunctis literis scribant an seiunctim, librorum editores saepe incerti sunt. Tria autem argumenta nobis praesidio sunt, quae ubi deprehenderimus, omnem dubitationem sublatam iudicemus.

§ 3.

Quae voces sub uno accentu scribendae sint.

a) Si ultima praecedentis vocabuli litera vel ultima et paenultima resectis reliqua conglutinantur, utraque vox in unam orationis partem abiit et sub uno accentu scribatur oportet, quum prior vox mutilata sola per se stare non possit; Huius modi sunt: hodie pro hoc die, quasi pro quam si, nudius pro nunc dius. In voce nudius duae consonantes elisae sunt, uti in trado pro transdo, et in pomerium, quam vocem a praepositione post, quam a pone vel pro compositam malimus, et in promeridianus. Saepissime hoc fieri videmus, ubi praecedentem vocem consonans „m“ claudit, sequentem vocalis intro ducit, ut in vocib. compos.: circueo, circuitus et in domuitio, quae vox est Accii. Forcellini etiam formam: domutio inveniri docet. In verbis ve-

neo et animadvertio cum consona simul vocalis „u" resecta est. Idem factum est in cavaedium = cavum aedium, quod legimus ap. Plin. hist. 19, 1 (Cf. fatigo = fatim ago). Vocabulum identidem, quod e vocibus idem et idem copulatis profectum esse grammatici docent, non analogiae verborum: veneo et animadverto, quae idetidem postulat, respondet, sed ad similitudinem formularum: certum'st, quidnam'st, rem'st, quidem'st, quas optimi comoediarum libri manu scripti habent, conformatum est.

Conjunctionis tametsi pars prior prorsus integra est, quum testibus Festo s. v. et Donato ad Ter. Ad. 2, 4, 14 prisci Latini forma tam pro tamen usi sint. Cur tamen haec vox ὑφ' ἕν scribenda sit, infra probabimus. Reliqua, de quibus mentionem feci, omnia esse copulanda, apertum est. Quamquam comoediarum scriptores formula: quam ob rem saepiuscule usi sunt bisyllaba, et formula: quem ad modum trisyllaba, nusquam tamen voces: quobrem et quadmodum leguntur scriptae. Juris consultorum sunt formulae dicendi: praestatu iri, debitu iri, redditu iri, quae nullo modo in compositis numerari possunt. Hac de re praecipit Forcellini: „qui praestitu iri coniuncte scribunt, manu scriptorum morem nescire videntur, omnia fere verba iungentium. Quidam putant, illud ipsum praestitu iri ortum esse ignorantia legentium manu scripta, in quibus quum praestitu iri superducta syllabae tu lineola appareret, hac illi aut dissimulata aut non perspecta, praestitu iri fecerint, quum praestitum debuissent." Ex integris duabus vocibus: trinum nundinum, quae apud Liv. 3, 35 leguntur: comitia in trinum nundinum indicta sunt et apud Quintil. 2, 4 rogatio non trino forte nundino promulgata — forma trinundinum prorepsit. Aliter Prisc. p. 733. Notissima est res, antiquissimos Romanorum poetas iis vocibus, quarum postremae duae literae erant ŭs et ĭs, postremam literam detraxisse. Hic mos usque ad Ciceronis tempora obtinuit. Idem raro factum est syllabis productis: tecti' fractis Cic. or. 45, 153, miri' modis Plaut. Trin. 4, 2, 86. Qua in re illud non praetereundum est, has syllabas tali modo imminutas corripi. id quod in formulis: vidĕn, iubĕn, abĭn fieri videmus. Cicero l. l. etiam multi' modis pro multis modis antiquos dixisse affert. Hac forma etiam tum, quum iam subrusticum videretur, vocabulis in „s" desinentibus hanc literam detrahere, interdum usi sunt scriptores: Nep. Them. 10. Lucr. 1, 893. Apud Ciceronem multi modis legebatur: de fin. 2, 26, sed Goerentius ad optimorum librorum fidem multis modis edidit. neque apud Nepotem lectio prorsus certa est. Forcellini, qui „multimodis" adverbiis adnumerat, errare videtur: ultima enim syllaba producitur: Lucr. 1, 895: verumsemina multi modisimmixta latere. Duae igitur sunt voces, quae cur apud Lucretium et comoediarum scriptores copulentur,

non liquet. Cornelii Nep. editores easdem voces copulasse, non omnino improbamus, quum extremas syllabas mutilandi mos a solutae certe orationis scriptoribus tum iam prorsus alienus esset. Falsae huius vocabuli analogiae debere videmur vocem Lucretii: omnimodis, cuius ultima longa est. cf. Lucr. 3, 407 si non omnimodis ut magna parte animai. Hanc vocem hyphen scribamus oportet. Praeterea consonam „s" elisam videmus in his compositis: tredecim, treviri pro tres decim, tres viri, iudico pro ius dico (quantitate vocalis „i" mutata, ut in subst. condicio a verbo condicendi), refert pro resfert. Sed de huius verbi etymologia grammatici non consentiunt. His adde adv. numerale bis, quod si cum nomine componitur, consonantem in fine positam amittit: bisonus, bisulcus, biiugis, biennium. Itaque voces: bis sextus, bis senus, quas semper legimus geminata consona scriptas in compositis habendae non sunt. Eodem modo seiungendae sunt voces: bis acutus, quibus utitur Augustinus. Proxime ad huius vocis rationem adiectivum indecl. semis accedit, cuius aeque atque adverbii bis in compositis consonans „s" abiicitur. Cf. Ascon in Pis. 4: frumentum, quod antea semis aeris ac trientibus dabatur. Varro L. L. 4, 36: sestertius quod semis tertius. Semis aeris et semis tertius singulae sunt voces. Hic locus videtur esse disputandi de vocibus Jupiter et iuglans. De prioris vocis originatione Gellius, 5, 12: quod elisis aut immutatis quibusdam literis est Jupiter, id plenum atque integrum est Jovis pater. In hac verborum coniunctione voc. Jovis primus casus est, ut in illo numorum, quos Otho et Vespasianus procuderunt, titulo: Jovis custos. Plura exempla affert Forcellini s. v. Jovis. Praeterea ut genitivis pl. obsoletis: lapiderum, boverum, quos Charisius affert, nominativi: lapidis, bovis subiiciendi sunt, ita forma Joverum, quam Varro L. L. 7, 38 commemorat, a casu recto Jovis profecta esse videtur. Huc accedit, quod nomen est dei Veiovis, qui idem Vedius vocatur. Quem ad modum igitur e voce bovibus forma bubus, e providens prudens, conformata est, sic e Jovi pater, consona „s" elisa, Jupater et Jupiter. Eadem ratione a duabus vocibus: Jovis glans - *διὸς βάλανος* - coagulatis vocabulum: iuglans compositum est. Aliter de nominis Jupiter etymologia statuit Benecke, qui „de Cicerone etymologo" dissertationem doctissimam scripsit. Etenim Varronem sequens, qui docet (L. L 5, 71), Jovi antiquius fuisse nomen Diespitri, voces dies sive dius pater in compositum transmigrasse arbitratur: Diupiter, unde voc. Jupiter ortum sit. Hanc originationem non est, cur repudiemus, cognatione syllabarum: diu, zu, ju bene perspecta. Eiusdem enim vocis sunt formae: diaeta et zeta, diabolus et zabolus, *δια-* et *ζα-*, *καρδία* et Aeolicum *καρζά*, *ἰαμβύκη* et *ζαμβύκη*; *δορκάς*, *ζορκάς*, *ἴορκος*; Graecum *ζυγόν* Latine iugum vocatur. Priscianus p. 558: nunquam nec „s"

nec alia consonans geminari potest alia antecedente consonante. Unde colligi potest, voces forsit et forsitan simplici „s“ scriptas in compositis esse numerandas. Omnes hae voces, quae singulae atque integrae per se fuerunt, extremis prioris vocabuli consonis detractis in composita abierunt. Eadem fere est ratio eorum vocabulorum, quorum posteriori eae consonantes demuntur, a quibus intro ducitur: ni-si = ni, si-vis = sis, si-vultis = sultis, retro-vorsum = retrorsum, alio-vorsum = aliorsum, et quae sunt id genus reliqua. Neque tamen literae consonae solum sive prioris sive posterioris vocabuli eiiciuntur, ut duae voces in unum coalescant, sed etiam vocales. Exempla sunt: antea, postea, praeterea, propterea, e singulis vocibus conglutinatis orta. Ex adiectivis: magno, maximo, tanto, quanto et substantivo opere coniunctis abverbia conflantur: magnopere, tantopere, cet. His adiicimus: istic sive isthic a vocibus iste- hic compositum, paeninsula, potes a paene-insula, pote-es; longinquus, propinquus a longe hinc, prope hinc adiecta terminatione — uus, ut in adiectivis: vacuus, continuus, relicuus. Voces mage velle in unam orationis partem abeunt: mavelle, malle et ire licet, scire licet, videre licet in ilicet, scilicet, videlicet. Cf. Serv. ad Aen. 2, 425; 6, 216 et Donat. ad Ter. Ad. 3, 4, 4. Sed de his iure dubitatur.

b. Tripartita igitur supra divisione facta iam ad secundam partem accedimus. Duae singulae voces in unam orationis partem coalescunt, nativa alterius vocis forma mutata. Primo loco dignum est vocabulum a casu recto et obliquo compositum: Diespiter (Gell. 12, 5: Diespiter est diei et lucis pater). Vocabulorum sic compositorum nullum praeterea extat exemplum. Etenim in vocibus: aquae ductus, terrae motus, ludi magister, cet. non synthesin, sed parathesin deprehendimus. Unde factum est, ut Benecke, cuius supra mentionem feci, vocem dies in Diespiter pro nominativo haberet, ut in consimilibus compositis: Dispiter, Marspiter sive potius Maspiter. Haec omnia esse composita iam inde conficitur, quod simplex vox piter nusquam legitur, neque in ullo horum prius vocabulum flectitur: Diespitris, Maspitris et antiquius: Diespiteris, Maspiteris, ut accipitris et accipiteris. Ceterum notissima est res, Gellii et Macrobii sententiae, qui diēs genitivum esse docent, quintae declinationis naturam non repugnare. His continuo addimus propter compositionis similitudinem voces semper coniuncte scriptas: Lucipor, Marcipor, Publipor, Quintipor. Etsi haec servorum nomina casu obliquo et recto appositis, non compositis, nata sunt, iis tamen calculum nolo adiicere, qui illa scribendo seiungere malint. Namque vocula: por sola nusquam legitur scripta, praeterquam in una inscriptione, quam Forcellini affert. Haec vox por, cuius est femininum pora, Graeco etymo debetur: παῖς sive πόϊς,

quae forma ad Laconicae dialecti consuetudinem formata est. Propius ad praeceptum supra datum accedunt voces: pro fecto e voc. pro - facto, illico e v. in - loco, denuo e v. de novo, adhuc e v. ad hoc conflatae.

c. Tertium argumentum, quod de scripturae genere haesitantibus saepiuscule succurrit, declinationis ratio est. Si duarum vocum, quales librorum editores copulatis literis scribere solent, utraque flectitur, parathesis est, si posterior sola, synthesis. Talia exempla sunt: olus atrum, ros marinus, ius iurandum, alter uter, quae singulae sunt voces. Itaque et casus obliqui: oleris atri, roris marini, iuris iurandi, alterius utrius seiunctim scribendi sunt. Sed ubi altera tantum modo pars declinatur, ut apud Plin. H. N. 12, 15, 34: olus-atri, apud Scribon. Larg. 268: rosmarini, apud Ammian. Marcell. 21 iusiurandi, vocabulum compositum habemus. De vocum alter uter declinatione Cf. Freund Lexic. s. v. et Seyfert p. 1415, qui Ennio suffragans — Apuleius de Deo Socr: iusiurandum Jovis iurandum dicitur, ut ait Ennius — eos locos summo studio tuetur, qui priorem vocem immutatam praebent. Atque veri simile est, Ammianum et qui cum eo faciunt, falsa originationis specie inductos communem loquendi consuetudinem detrectasse. — Voces: duodecim, duodeviginti, duodeni cet compositis adnumerandae sunt, quum prior pars declinationi non subiiciatur (Caes. B. G. 7, 36: fossa duodenum pedum). Adiectiva e numeralibus orta: quarta - decimanus, tertia - quinta - decimanus composita sunt, quum in derivatis prior pars nihil incrementi ceperit, neque ullam passus sit mutationem. Cf. Tac. hist. 3, 27 milites tertiadecimani. Liceat mihi in hunc ordinem referre singularis numeri vocabula: decemvir, quindecimvir, centumvir, cet., quorum pars posterior numeri ratione repudiata a parte priore revelli non potest. Horum confinis est vox: septemtrio. Omnes enim per anadromen e plurali numero ortae sunt. Quem ad modum in compositis modo allatis posterioris partis numerus, sic in sequentibus casus exlex est, ut ita dicam, et structurae vinculo solutus: proconsul, propraetor, proquaestor. His vocibus e praepositione et casu recto coagulatis raro Cicero, saepiuscule Livius et reliqui utuntur. Integras, quae praepositionis auctoritatem sequuntur, voces: pro consule, pro praetore, cet. seiunctim scribendas esse, perspicuum est. Cic. pro leg. Man. 21: Philippus dixisse dicitur: non se illum sua sententia pro consule, sed pro consulibus mittere.*) Malae latinitatis sunt vocabula: ex duce, ex gladiatore, ex legato, ex

*) Cf. Tac. ann. 15, 22: agendas apud senatum propraetoribus prove consulibus grates.

vicario, quae saepissime in posterioris aetatis inscriptionibus leguntur disiunctae. De vocibus: exdux, exgladiator cet., terminatione abiecta, compositis dubitatur. Contraria ratione vocabula, munus et dignitatem significantia, quae a praepositione: sub intro ducuntur: subpraefectus, subprocurator, subcustos, subvillicus legitimam formam: subpraefecto cet. nusquam servant.

Tria supra commemoravimus esse argumenta, e quibus colligi posset, duas voces in unam partem orationis transmigrasse: elisionem et contractionem vocalium, vocalium mutationem, declinandi rationem communi loquendi usui non convenientem. Quartum his adiicere in animum induximus, quamquam veremur, ut sit certissimum: assimilationem, quam nostri temporis grammatici vocant. Etenim multis veterum grammaticorum locis legimus, multas voces aliter scriptas, aliter esse pronuntiatas. Quintil. 9, 4, 40: m litera, quoties ultima est, et vocalem verbi sequentis ita contingit, ut in eam transire possit, etiamsi scribitur, tamen parum exprimitur, ut: multum ille et quartum erat. Diomed. p. 483. Mytacismi sunt, quum in fine partis orationis invenitur m litera et sequens a vocali incipit, quae non sit loco consonantis posita: haec enim scribitur, non pronunciatur. Vel. Longus p. 2238 priorem solam literae M partem illis locis scribi vult, ut appareat, consonantem m exprimendam non esse. Cornut. apud Cassiod. p. 2285: tamtus et quamtus in medio m habere debent, nec quosdam moveat, si m non sonat: iam enim supra docui, non sonare debere, tametsi in scriptura m posita sit. Praeterea e capite 45, § 154 Cic. or. intelligitur, voces: cum nobis sic pronuntiatas esse, ut si scriptum esset: cun nobis. Qui etiam nunc scribebant, tamen etian nunc exprimebant. Apud Gruterum legitur p. 325, nr. 7: con quem. Ibid. 751, nr. 8: quicon vixit. Unde nobis persuasum est, fuisse etiam, qui literis sonum et vocem expressius imitantibus pronuntiandi rationem significare conarentur. In hanc viam nonnulli ingressi etiam imperpetuum scribebant literis conglutinatis et imprimis et impraesentiarum, contra pessundo et venundo.

Nonne vehementissime a recta ratione ii aberrant, qui voces: in primis, in perpetuum, pessum do, venum do coniuncte scribi iubent, quod easdem per assimilationem interdum a quibusdam copulatas videant? Jam habes, cur dixerim, non certissimum esse argumentum assimilationem.

De verbis a praepositione et verbo compositis et de iis vocabulis, quae per literam connexivam coaluerant, inter omnes constat. Iam eae, ut ita dicam, dicendi formulae enumerandae sunt, quae in librorum editionibns literis copulatis inveniri solent scriptae.

§ 4.

Primo loco tractentur substantiva cum adiectivis coniuncta.

a) res publica. Cicero de repl. cap. 31 de harum vocum origine et significatione expresse nos docet: „et talis quaeque res publ., qualis eius aut natura aut voluntas, qui illam regit. Si ius suum populi tenent, negant, quidquam esse praestantius, liberius, beatius. Hanc unam rite rem publ., id est rem populi appellari putant." Sed non solum ea civitatis conditio his vocibus denotatur, quae summam imperii ac maiestatem penes populum esse iubet, sed etiam quaecunque est res, quam civis sive togatus sive paludatus ita gessit, ut commodi aliqua aut detrimenti, gloriae aut infamiae ratio ei intercederet cum civitate. Extemplo de officiis ac muneribus cogitaveris, quae dictatores, consules, praetores, aediles belli domique exsequuntur. Tac. Agric. 19: Agricola nihil per servos ac libertos agere publicae rei. Liv. 27, 6: hi censores neque senatum legerunt, neque quidquam publicae rei egerunt. In primis bella, quae maximam semper apud Romanos habebant vim ac momentum ad servandam aut commutandam civitatis conditionem, rei publicae nomine significantur. Plaut Amph 1, 1, 40 et 1, 3, 26: ex me ut scires, rem ut gessissem publicam. Scias, Amphitruonem bellum intulisse Telebois proelioque facto superiorem evasisse. Liv. 2, 64: et in Volscis res publica egregie gesta i. e. bellum in Volscis fortiter profligatum. Liv. 8, 31. 4, 24 rem publicam foris gerendam: ibid 28, 9. 7, 3. 5, 2. Caes. B. C. 1, 7. Cic. pro leg. Man. 21. Omnis res, quae non ad civitatem, sed ad singuli hominis vivendi et agendi rationem pertinet, privata vocatur et opponitur rei publicae. Plaut. Trin. 1, 1, 16: remoram faciunt rei privatae et publicae. Apud Cic. offic. 1, 2 legitur: nulla enim vitae pars, neque publicis, neque privatis, neque forensibus, neque domesticis in rebus. Has dicendi formulas, pari omnes ratione ortas, coniunctas, pariter omnes analogia tuetur, eadem omnibus significationis origo. His adde formulas: res militaris, res bellica, res navalis, res maritima et quae sunt id genus reliquae. Quodsi omnes, quas enumeravi, seiunctim scribendae sunt, etiam formulam: res publica seiungi scribendo necesse est. Atqui ita illas semper esse scribendas, quis neget? Multi autem viri docti in ea re labi videntur, quod duplicem vocum: res publ. significationem distinguunt. Illi quidem seiunctim scribunt: res publ., si vel res quaelibet a duce gesta, ut: proelium, obsidio urbis, bellum, vel omnino singula quaevis artis civilis pars; sin tota civitas significatur, quam rem unam et absolutam per se ratione comprehendunt, easdem voces seiungere solent, quasi monituri legentem, ne res diversas

confundat. Quis est, qui non videat, hanc rationem et falsam esse et omnino abominandam. Praeterea voces: res publ. non modo coniunctione adiunctiva, quam primae plerumque propositionis voci affixam videmus, et iis coniunctionibus, quae secundum locum tenere solent (enim, vero, tamen), saepe disiunguntur, sed singulis etiam aliis vocabulis adeoque maiore propositionis parte. Hanc rem multis exemplis probatam habemus. Atque omnibus his locis: res publ. accurate civitatem legibus et magistratibus circumscriptam significat. Liv. 3, 54: quod bonum, faustum felixque sit vobis reique publ. Just. 5, 8: Spartani pacem polliciti sunt, si naves reliquas traderent resque publ. triginta rectores acciperet. Cf. Sall. Cat. 9. Cic. off. 2, 23. id. fam. 5, 1, 2. Liv. 5, 52. 22, 9. 22, 11. — Res tamen publ. Cic. fam. 12, 2, 12. — rem vero publ. Cic. Tusc. 1, 1, 2. offic. 2, 8. Eodem statu versantur aliae voculae, quae arctius quodam modo cum ea voce cohaerent, ad quam praecipue referendae sunt, ut vel vis notionis augeatur vel accuratius definiatur. Cic off. 1, 45: ne res quidem publ. Cic. fam. 1, 9, 20: res ipsa publ. Cic. fam. 1, 8, 8: rei totius publ. Liv. 22, 11 de bello reque de publica. Iustin. 6, 8 rei quoque publ. Liv. 22, 53 desperatam rem esse publ. Plaut. Pers. 1, 2, 23. rem curo publ. id. Amph. 1, 3, 26. Merc. 5, 4, 26. Huc accedit, quod interdum formulae ratio ita mutata est, ut adiectivum priorem teneat locum Plaut. Pers. 1, 2, 13: nam publ. rei causa quicunque id facit. Liv. 27, 6. Gell. 11, 9. Nep. Alcib. 3, 3. Postremo quis pluralem illarum vocum numerum unquam passus est conglutinatis literis scriptum. Cic. de republ. 28: tria genera rerum publicarum. ib. 30: modi tres rerum publicarum. ib. 5; 6. de legg. 2, 10, 23. de div. 2, 2: His argumentis sententiam meam satis mihi firmasse videor. Ne forte mihi quis culpae dederit, multa me de re perspicua profudisse verba, liceat profiteri, ab initio maxime quaestionis me ostendere voluisse, quo modo hae res sint tractandae, undeque argumenta ad iustam rationem inquirendam sint colligenda.

b) ius iurandum. Quo modo hanc locutiorem ortam putaverint Naevius et Ennius, supra commemoravi. Qui illis quidem assentiatur, hodie certe nullus est. Has voces substantivum et adiectivum esse apposita ob eamque rem seiunctim scribendas manifestum est, praesertim quum et utraque vox flectatur (iura iuranda Pacuv. apud Fest. in manticul.), et ordo vocabulorum immutari et aliis vocibus interpositis tolli possit. Cic. pro Coel. 22: socius vestrae religionis iurisque iurandi. Pro Rosc. Am. 3, 8: vos idoneos habuerunt, per quorum sententias iusque iurandum . . . Ov. Heroid. 21, 134: quid tibi nunc prodest iurandi formula iuris. Plaut. Pseud. 1, 2, 63: lanii, qui item, ut nos, iurando iure malo quaerunt rem. Apud Hor. Sat. 2, 3, 179 easdem voces

versu disiunctas videmus: praeterea ne vos titillet gloria, iure — Iurando obstringam ambo. Iuvenal. 13, 201: quod dubitaret — Depositum retinere et fraudem iure tueri — Iurando. Apud Ter. Andr. 4, 3, 13 et Plaut. Cist. 2, 1, 26 altera vox: iurandum totius locutionis locum explet. Versus est Phaedri fab. 1. 8, 7: tandem persuasa est iure iurando gruis — quo confirmatur, vocalem e in voce iure esse brevem. Inde autem optimo iure colligi potest, illas voces esse appositas, quod in composito vocalis e ante semivoc. i producenda fuisset. Cf. Prisc. p. 545. Schneider Elementarlehre p. 278. Iam non miramur, cur Horatius et Iuvenalis illas voces disiunxerint, quum coniunctae epici metri rationi ubique repugnent.

c) olus atrum. (Colum. XI, 3, 18 oleris atri) seiuncte scribendum est. Apud Plin. H. N. 19, 12, 62 genitivus: olusatri in unum vocabulum coaluit.

d) ros marinus. (Gen. roris marini Colum 12, 36) duae partes orationis sunt. Cf. Hor. od. 3, 23, 15: parvos coronantem marino — Rore deos. Apul. de herb. 79: marinus ros. Colum. 9, 4, 6: marinus ros. Ov. Met. 12, 410: rore maris. Id. de art. am. 3, 690. Malae notae est genitivus rosmarini, de quo in exordio dixi.

e) primus pilus. Pilus ordinem triariorum significat, unde triarii etiam pilani appellantur. Itaque primus pilus primum triariorum sive manipulum sive centuriam denotat. Liv. 34, 47. Victorius primi pili centurio. Qui triariorum primus pilus est, is hastatorum et principum „primus hastatus, primus princeps est." Cic. de div. 1. signifer primi hastati. Num illis vocibus seiunctim scriptis etiam primo ordini praefectus significari possit, parum constare videtur. Forcellini s. v.: „primus pilus est prima centuria, primipilus vero eius centuriae ductor." Praeterea tertia affertur forma: primopilus. Sed in Inscr. ap. Gruter. pag. 437. nr. 5: C. Meffio. C. F. Saxoni. Primo. Pilo. Praef. Cohort. illae voces seiunctae sunt et apud Caes. B. G. 2, 25: primo pilo P. Sextio Baculo, fortissimo viro, multis vulneribus confecto — iure seiunguntur. De forma: primipilus aliquanto difficilior quaestio est, quod omnes loci, in quibus primi pili legitur, dubitationem non eximunt (Cf. Liv. 8, 8: duo primi pili erant.) et ubi alius casus invenitur, lectio non prorsus certa est. Cf, Caes. B. C. 3, 53. Val. Max. 1, 6, 11. Posterioris aetatis scriptores vocabulum primipilus composuisse non negamus, sed haud scio, an in voce composita haec significatio, quae est praefecti ordinis, iure in esse non possit. Cf. Lob. Phryn. parerg. III de synthesi et parath.

f) decem viri, quindecim viri, centum viri, duo viri (inscr. apud Grut. p. 152.), tres viri (Plaut, Amph. 1, 1, 3. id. Asin. 1, 2, 5.

Liv. 39, 44) singulae sunt voces. Cf. Hor. carm. saec. 70: Quindecim Diana preces virorum — Curet. Stat. Sylv. 1, 4, 25: centumque dedisti — Iudicium mentemque viris. Voces: duumviri et triumviri, quae per anadromen e genitivo, et singularis numeri formae: decemvir, quindecimvir cet, quae e plurali numero ortae sunt, disiungi non possunt. Eadem est ratio vocum:

g) septem triones. Cic. N. D. 2, 41: quas nostri septem soliti vocitare triones. (Gell. 2, 21: triones rustico vocabulo boves appellati sunt. Varro L. L. VI. triones et boves appellantur. Fest. s. v.) Ov. Met. 2, 538: septem prohibete triones. Cf. Virg. Aen. 3, 516: geminosque triones. Ov. Met. 2, 171 gelidi caluere triones. Sed in versu 381 Virg. Georg. 3: septem subiecta trioni et Ov. Met. 1, 64: Scythiam septemque trionem — tmesis inest.

h) Alba longa, Coele Syria seiunctae sunt voces. Liv. 1, 3: urbem condit, quae . . longa Alba appellata est. Virg. Aen. 1, 271 longam multa vi muniet Albam. 5, 597. 6, 766. — Syria Coele Plin. H. N. 21, 18, 72. in Coelen Syriam processit Liv. 45, 11.

i) voces: magno — maximo — quanto — tanto-opere seiungantur. Cf. magnoque opere. Cic. ad. div. 13, 34 magno hic opere Cic. de invent. 2, 1. opere maximo. Ter. Phorm. 5, 1, 3 3. maximo te oravit opere. ib. Eun. 3, 3, 26. Mil. gl. 1, 1, 75. Pseud 3, 2, 107. quantoque opere Cic. fam. 13, 7. quanto se opere Id. N. D. 2, 49. opere tanto Plaut. Bacch. 2, 2, 1.

k) Integrae voces: quo modo ubi seiunctae sunt, genuinam versus cretici prosodiam servant; quum in unum coalescunt, ultima correpta dactylus fit. Cf. Virg. Aen. 3, 459: et quo quemque modō fugiasque ferasque laborem. ib. 5, 599: quo puer ipse modō, secum quo Troia pubes. Vocem compositam legimus Martial. epigr. 10, 16, 8: quidquid habent omnes, accipe, quomodŏ das. ibid. 3, 15, 2. Hor. Sat. 1, 9, 43: cum victore sequor. Maecenas quomodo tecum? Soluta oratio nullum argumentum suppeditat, quod in hac formula scribenda sequi possimus. Interdum vocem interpositam videmus: Cic. de. re. pbl. 33: quo autem modo assequi poterat Lacedaemon? id. de legg. 1, 20, 53: quo tandem istud modo? id. 2, 8, 20.

l) quot annis, quot diebus, quot mensibus, quot calendis. Apud. Plaut. Stich. 1, 2, 3 legitur: vos meministis quot calendis petere demensum cibum. Ad hunc locum conf. Ulpian. libr. 36, tit. 2, leg. 12: Pomponius scribit, nihil interesse, utrum in annos singulos vel quot annis, an in singul-

menses vel quot mensibus, an in singulos dies vel quot diebus legatur. — Quot mensibus legitur Vitruv. 9, 4; quot diebus Quintil. 1, 8 (13). — Disertis verbis Pomponius docet, eandem omnino harum locutionum esse originem et rationem, unde sequitur, qui voces: quot calendis vel quot mensibus disiunctis literis scribat, eum etiam quot annis seiunctim scribere oportere. Atque Pierius ad Virg. ecl. 1, 43 „in antiquis omnibus exemplaribus, quotquot versare sibi contigerit, quot annis distincte scribi" confirmat et Forcellini (s. v. quot) addit: „haberi quot annis etiam in vet. monum. apud Gruter p. 506, lin. 15." Apud Varron. et Agell. etiam forma: quotquot annis invenitur. De vocib: quotidie et postridie consulendi sunt Gellius 10, 24 et Macrob. Sat 1. 4, qui „Marci Tullii aetate et supra eam — die-crastini, quarti, quinti et die-crastine, quarte, quinte (secunda correpta) pro adverbio copulate dictum esse" commemorant. Hartungus (de casibus), comparatis vocibus: humi, belli, domi, foci, illicet, peregre vel peregri, quos casus locales, et voce: praefiscine vel praefiscini, quem casum modalem iudicat; in formis: die crastini vel crastine cet. casum temporalem inesse arbitratur. Atque in hac re Nonii auctoritatem sequitur II, 650: proximi i. e. proximo. Cato contra Furium: die proximi hoc dicit. Sed ea declinatione a veteribus et crastini et pristini et praepristini dictum. — Itaque etiam formam: quotidie non e vocib. quot diebus ortam, sed ad analogiam form. die quarti, die quinti, postridie (in qua ordo verborum inversus et elisio vocalis facta est) revocandam esse puto. Forma: postridie una pars orationis est, de form. quotidie nihil audeo statuere, quamvis ei adversari noluerim, qui „quoti die", scribat seiunctim.

m) Vicae Potae. Liv. 2, 7: ubi nunc Vicaepotae est, domus in infimo clivo aedificata (edit. Gronov). Plutarchus in vita Public: *ὅπου νῦν ἱερόν ἐστιν οὐίκος πόπλικος ὀνομαζόμενος*, quem locum ad Livii exemplum emendandum censet Lipsius, interrogans: quis templum audivit Vici publici? Apud Senecam apocoloc. legitur: proximus interrogatur Diespiter, Vicaepotae filius. Alius casus nusquam invenitur. Si Gronovii et Lipsii lectio certa et ille genitivus a nominativo Vica pota profectus est, veri est simile, has voces seiungendas esse. Cf. Cic. leg. 2, 11.

n) parcus promus. Forcellini vocem: parcipromus compositam affert, sed nusquam nec casus obliquus, nec rectus, nisi nominativus pl. legitur (Plaut. Pseud. 5, 1, 22: non enim parci promi victu cetero. id. Truc. 1, 2, 81: isti, qui cum geniis suis belligerant parci promi), qui potius integris vocibus: parcus promus deberi videtur, praesertim quum in locis modo allatis ultima vocis parci producta sit. Parco promo opponitur „prodigus promus" Poen. 3, 4, 6:

edepol fecisti prodigum promum tibi. Itaque „parci promi“, ut „prodigi promi“ singulae sunt voces separandae. Plaut. Pseud. 2, 2, 14 legitur: condus promus sum, procurator peni. Voces, cond. prom. substantiva sunt ἀσυνδέτως posita, ut voces: usus fructus, usum fructum, quas, qui libros edunt, negligenter copulatis plerumque literis scribunt. Cf. Cic. fam. 7, 30: usu et fructu. id pro Caecina 7, 19: usus enim, inquit, et fructus fundi. Senec. ep. 73: sibi horum usus fructusque contingat. Cf. Cic. legg. 1, 8, 25. Apud Cic. pro Caecina 19, 54 variae sunt lectiones: lex usum auctoritatem fundi iubet esse biennium. Al. lect: usum et auctoritatem. auctoritatem fundi et usum.

o) Adiectivum unus, a, um a pronominibus: quivis, quilibet, quisque, quibus interdum additur, separandum est. Liv. 9, 17 quilibet unus. ib. 6, 40: unus Quiritium quilibet. Cic. pro Caecina 22: quivis unus. Lucr. 5, 988: unus enim tum quisque. Eodem modo pronomini quisque adiicitur vox quotus: Cic. Tusc. 2, 4, 11: quotus enim quisque. id. off. 3, 17. id. pro Planc. 25. Hor. epist. ad Pis. 290. id. sat. 1, 9, 51. id. epist. 2, 2, 188. Lucr. 6, 1280.

§ 5.

Genitivus cum casu substantivi, ex quo pendet, saepissime in librorum editionibus iunctis literis coalescit.

a) plebiscitum. Notissima res est, vocem plebes et e quintae declinationis lege flecti et tertiae. Etenim et genitivus plebei, cuius est forma contracta plebi, et plebis legitur. Cf. tribunus plebei Liv. 2, 33. Cic. Brut. 14. tribunus plebi Liv. 3, 65. 6, 11. Itaque his genitivorum formis si appositum est voc. scitum, integras voces habes: plebei scitum Liv. 10, 21. Cic. Dom. 17. Sed quum altera forma: plebi scitum nusquam nec voce interposita disiuncta, nec mutato ordine scripta inveniatur, non liquet, utrum sit genitivus: plebi appositus, an vocabulum compositum a gen. plebis, consonante s elisa, id quod et in voce: forsitan factum videmus et quod praeceptum est a Donato. p. 559: non potest duplicari consonans, alia subsequente consonante, quomodo nec antecedente, nisi sit muta ante liquidam. Ubicunque illa locutio ordine immutato deprehenditur, nusquam genitivus plebi reperitur. Liv. 4, 63: scita plebis. id. 13, 15: scitum plebis. 10, 22 scito plebis. 22, 26 scitique plebis. Senec. ep. 95: plebisque scitis. Quintil. 2, 14 plebisve scitis. Liv. 25, 7: plebisque scitu. Quamquam quid obstat, quo minus vel plebi scitum vel plebis scitum scribamus? Neutrum in libris editis invenitur. Quatuor soli

codices versu 176 Luciani Phars. 1, formam: plebis scitum offerunt: Hinc leges et plebis scita coactae et hanc lectionem C. Fr. Weber contra Priscianum p. 1000 tuetur. De vocibus populi scitum, quibus Nepos utitur. (Arist. 1, 5. Epam. 7, 4. Alcib. 5, 4. Phoc. 2, 2.), dubitari non potest. Cf. Cic. legg. 2. 4: legem nec scitum aliquot esse populorum. ibid. 1, 16: scitis multitudinis.

b) senatus consultum. Lib. 31, 5: senatus inde consultum. Caes. B. G. 7, 1: de senatusque consulto. Liv. 23, 10. Gell. 5, 6. — ex consulto senatus Flor. 3, 21. Cic. harusp. 8: tot senatus exstare consulta. Cic. Attic. 1, 14: ordinis nostri consulta. Macrob. Saturn. 1, 16: ut scita atque consulta frequentiore populo referrentur.

c) agri cultor, agri cultura, agri cultus. Singulae sunt voces, ut amicitiae cultor Liv. 25, 28. aequi cultor Ov. Met. 5, 100. Cf. Liv. 27, 12: cultoribus agri. Varro R. R. 2, 1: culturam agri. ibid. 2, 4: agri enim cultura. Cic. Lael. 7, 23: ne agri quidem cultus. Hor. ars p. 117 cultor virentis agelli. Liv. 28, 12: cultu agrorum. Liv. 22, 31: insulis cultoribus egentibus. Liv. 10, 10. Virg. Georg. 2, 420.

d) legis lator, legum lator, legis latio, iuris dictio. Liv. 5, 29: latoribus legum. Liv. 6, 36: latores legum. ib. 6, 38: legum quoque latores. Cic. pro Mur. 2: legis ambitus latorem. id. IV Catil. 5: latorem legis Semproniae. id. N. D. 3, 38: latorem istius modi legis. Legis latio Cic. Attic. 3, 26, ut suffragii latio Liv. 38, 36. iuris dictio, ut causae dictio Liv. 7, 4. Cf. Liv. 41, 9: iurisque dictio.

e) terrae motus, aquae ductus. Liv. 35, 21: motu terrae. Tac. ann. 15, 22: motu terrae. Plin. 2, 84: maximus terrae memoria mortalium exstitit motus. Cic. de div. 1, 18: cum terrae saepe fremitus, saepe mugitus, saepe motus praedixerint. — Plin 16, 42, 81: aquarum ductus. Cic. off. 2, 4: ductus aquarum. id. legg. 2. 2: ductus vero aquarum.

f) ludi magister. Cic. de div. 14, 47: magister ludi. Martial epigr. 10, 62, 1: ludi magister parce simplici turbae. ib. 12, 57, 5: negant vitam — Ludi magistri mane, nocte pistores. Utroque loco ultima vocis ludi producitur, unde conficitur, voces ludi magister non esse compositas.

g) Ut de reliquis huius modi vocibus paucis absolvam: manus praetium (Liv. 34, 7), iuris prudentia (Ulpian in pandect.), agri mensor (Cf. lexic) singulae sunt voces. Apud Liv. 8, 19 voces: Vacci prata

a Gronovio coniunctis literis scriptae sunt, sed falso, Cf. Liv. 3, 63: prata Flaminia.

§ 6.

Sunt adiectiva et adverbia, quae unius nominis, quem postulant, casui, tam saepe adiungebantur, ut tandem certae fixaeque formulae inde nascerentur, quas continuatis literis scribere librorum editoribus placuit, sed falso placuit.

a) veri simile. Ordo verborum et mutari et vocibus interpositis tolli potest. Liv. 5, 21: si quae similia veri sunt. id. 26, 38: res minus similis veri visa est. Id. 27. 7: 6, 12. 36, 12. Cic. de leg. 2, 19, 47: sive quod similius veri est. Cic. Tusc. 3, 8, 16: veri etiam simile. Tusc. 1, 9, 17: ut veri videam simile. Libro X, c. 20 Livius similia veris scripsit. libr. 8, 26: similius vero. Cf. Liv. 29, 20. 10, 26.

b) iuris (iure) consultus, iuris peritus. Iuris cons. dicitur, ut sapientiae consultus Hor. od. 1, 34, 2. Parathesis est. Cf. Hor. ars. poet. 369: consultus iuris et actor causarum. Cic. or, 1, 48 iuris et legum consultus. Hor. Sat. 1, 1, 9: iuris legumque peritus. Cic. leg, 2, 21, 52 iuris civilis estis peritissimi.

c) nihilo secius, nihilo minus, quo minus. Comparativi et adverbia, in quibus significatio comparativorum similis inest, ablativum adiectum habent, quo significetur, quanto res altera alteram antecedat et superet. Exempla sunt: neque eo secius. Nep. Milt. 2, 3. nihilo secius. id. Con. 2, 4. Cf. Plaut. Trin. 2, 3, 6: secius nilo facit. Caes. B. G. 5, 4 et 5, 7: nihilo tamen secius. Lucr. 1, 698: quae nilo clara minus sunt. ib. 5, 1231: nihilo fertur minus ad vada leti. Lucr. 2, 785: nihil officiunt obstantque figurae. — Dissimile quo quadratum minus omne sit extra. Ter. Andr. 1, 2, 25: quo fiant minus nuptiae. Ter. Hec. 4, 4, 8 ne revereatur minus iam quo redeat domum.

d) saepe numero. Adverbio: saepe ablativus adiicitur, qui vocatur limitationis. Cf. Gell. 3, 19: multa opinio est, gigni hominem septimo rarenter, non nunquam octavo, saepe nono, saepius numero, decimo mense. Lucr. 6, 414: ac saepe est numero factum.

§ 7.

Quartum genus est verborum, quae certi vocabuli casum obliquum tam saepe adiunctum habebant, ut rectae rationis minus curiosis cum nomine apposito in compositum abiisse viderentur.

a) manu mittere. Quid sit manu mittere et cur verbo mittendi abla-

tivum manu adiecerint Romani, Festus docet. Quis non videt, manu mitto, ut manu emitto. manu assero, usu facio singulas esse voces? (Plaut. Cas. 2, 4, 6: qui emittis me manu. id. Rud 4, 6, 14. asserito manu. Plaut. Pers. 1. 3, 83. 4, 7. 7.) Cf. Plaut. Cas. 2, 8, 40: mitti manu. id. Men. 5, 7, 33: me mittas manu. Aulul. 5, 1, 9: ut manu me mittat. Cic. pro Mil. 22: manu vero cur miserit. Liv. 41, 9: manu non mittere. Etiam substantivum: missio a voc. manu seiungendum est, ut subst: capio a voce usu. Utraque enim vox ablativo omisso, altera apud optimos scriptores, altera apud iuris consultos legitur. Cf. lexic. et Gell. 7, 10: usus capio, pignoris capio.

